



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Sessio XL.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO CHRISTI 1417. menta, præsentibus reuerendissimis dominis in Christo patribus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Bononiensi, Hispano, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Placentino, Veronensi, Tricaricensi, Pisano, sancti Marci, de Chalanco, Rhemensi, de Fuxo, presbyteris; de Flisco, de Brancasiis, de Columna & de Comitibus, diaconis cardinalibus; nec non egregiis viris dominis Augustino de Pisis, Dominico de Ponte, Ardecino de Nouaria sacri consistorii aduocato, & Luca de Flisco milite Ianuensi, aliisque dominorum regum, principum ac prælatorum ambasatoribus, & aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XL.

DIE Sabbati trigesima supradicti mensis Octobris fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiensi. Pro cuius quidem sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Iordanus episcopus Albanensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, de Vrsinis vulgariter nuncupatus, Missam de Spiritu sancto celebrauit: reuerendissimus vero dominus Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecellarius, pontificalibus induitus, huiusmodi sessioni præsedit. Lectisque litanias & aliis orationibus in sessionibus legi solitis, reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci presbyter cardinalis quædam decreta publice legit sub his verbis.

Reformationes fiendæ per papam una cum Concilio, antequam Concilium dissoluatur.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus Romanus pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes beat reformare ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam, secundum æquitatem & bonum regimen ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissoluatur, super materiis articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum, quæ sequuntur.

Concil. Tom. 29.

Eccc

1. Primo, de numero, qualitate & natione dominorum cardinalium.
2. Item de reseruationibus sedis apostolicae.
3. Item de annatis, communibus seruitiis & minutis.
4. Item de collationibus beneficiorum & gratiis expectatiis.
5. Item de confirmationibus electionum.
6. Item de causis in Romana curia tractandis, vel non.
7. Item de appellationibus ad Romanam curiam.
8. Item de officiis cancellariæ & pœnitentiariæ.
9. Item de exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis.
10. Item de commendis.
11. Item de fructibus medii temporis.
12. Item de non alienandis bonis Romanæ ecclesiæ.
13. Item propter quæ & quomodo papa possit corrigi & deponi.
14. Item de extirpatione simoniæ.
15. Item de dispensationibus.
16. Item de prouisione papæ & cardinalium.
17. Item de indulgentiis.
18. Item de decimis.

Hoc adiecto, quod facta per nationes deputatione prædicta, liceat aliis de licentia papæ libere ad propria remeare.

Quod procedatur ad electionem Romani pontificis, absentia cardinalium Petri de Luna non obstante.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, attēdens ea quæ iamdudum Narbonæ pro vniōne ecclesiæ de admittendis in eadem Synodo cardinalibus obedientiæ Petri de Luna, olim Benedicti decimiertii in sua obedientia nuncupati, concordata fuerunt, quodque post notoriām electionem dicti Petri de Luna, præfati cardinales dudum secundum eadem concordata ante electionem huiusmodi vocati, infra tres mensēs & amplius a die electionis prædictæ expectati non venerunt, statuit & decernit fore ad electionem Romani pontificis iuxta decernenda per eamdem Synodum, eiusdem Synodi auctoritate procedendum, ipsorum absentia non obstante: quos,

ANNO CHRISTI 1417. si ante consummatam electionem futuri summi pontificis venerint, & eidem Concilio adhæserint iuxta dispositio-
nem iuris & decernenda per Concilium, vna cum aliis ad electionem prædictam admittendos esse declarat.

De modo & forma eligendi papam.

Ad laudem, gloriam & honorem omnipotentis Dei, & ad pacem & unitatem universalis ecclesiæ ac totius populi Christiani, ut electio futuri Romani & summi pontificis proxime celebranda, firmiori auctoritate & plurium roboretur assensu, & ne, attento statu ecclesiæ super dicta eleccione, in posterum nulla retractio, nullusve scrupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur unio certa, vera, plenissima & perfecta fidelium: sacrosancta Synodus Constantiensis, communis utilitate pensata, de speciali & expresso consensu & voluntate concordi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium in eadem Synodo personaliter existentium, & collegii eorumdem ac omnium nationum praesentis Concilii, ordinat, statuit & decernit, quod hac vice dumtaxat ad eligendum Romanum & summum pontificem, vna cum cardinalibus sex prelati, vel alias honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem Synodo pro tunc existentes, quos seu quas qualibet ipsarum nationum professe ad hoc infra decem dies duxerit eligendas, ipsis cardinalibus adiungantur. Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Romanum pontificem secundum formam hic expressam (quatenus opus est) tribuit potestatem, vide-licet, quod ille absqueulla exceptione ab universalis ecclesia Romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus cardinalium in conclave existentium, & a cuiuslibet nationis duabus partibus eisdem cardinalibus adiungen-
dorum, & tunc adiunctorum, electus fuerit & receptus, quodque non valeat electio, nec electus pro summo pon-
tifice habeatur, nisi duas partes cum cardinalibus ad eli-
gendum adiungendorum & tunc adiunctorum, consentiant & consenserint in Romanum pontificem eligen-
dum. Statuit insuper, ordinat & decernit, quod vota quo-
rumcumque in electione huiusmodi emittenda sint nul-
la, nisi (ut præmittitur) duas partes cardinalium, & duas

Concil. Tom. 29.

Eee ij

partes cuiuslibet nationis adiungendorum , & tunc adiunctorum prædictorum, præsentialiter seu per accessionem in vnum concurrant. Hoc etiam adiecto , quod prælati & alii cum cardinalibus ipsis ad electionem huiusmodi adiungendi , & tunc adiuncti , omnes & singulas constitutiones apostolicas etiam penales circa electionem Romani pontificis editas , atque consuetudines obseruari consuetas , quemadmodum ipsi cardinales obseruare teneantur , & ad illorum obseruantiam astringantur. Teneantur insuper iurare , & iurent dicti electores & cardinales & alii , antequam ad electionem procedant , quod in huiusmodi electionis negotio attendant , quod eis imminebit (cum de creatione agitur vicarii Iesu Christi, successoris beati Petri , vniuersalis rectoris ecclesiae , gregis dominici directoris) puris & sinceris mentibus (& quantum credant publicae utilitati vniuersalis ecclesiae proficere, omni cuiuscumque nationis personæ vel alio inordinato affectu, odio, gratia vel fauore abiectis) procedere, ut eorum ministerio de utili & idoneo vniuersali ecclesiae pastore prouideatur. Ordinat insuper , statuit & decernit eadem sancta Synodus , quod infra decem dies exnunc continue numerandos , quos decem dies omnibus & singulis sanctæ Romanæ ecclesiae cardinalibus præsentibus & absentibus , & ceteris electoribus supradictis , attenta Romanæ ecclesiae notoria vacatione , ad intrandum conclave in hac ciuitate Constantiensi in maiori domo communitatis eiusdem ciuitatis ad hoc iam ordinata , præfigit & assignat , præfati electores, cardinales & alii supradicti intrent ipsum conclave ad electionem huiusmodi celebrandam , ceteraque faciendum , obseruandum & prosequendum , quemadmodum in ceteris præter præmissa de cardinalibus & aliis in electione Romani pontificis iura statuunt & decernunt , quæ omnia , præmissis obseruatis , vult eadem sancta Synodus in suo robore permanere. Hanc autem formam & hunc modum electionis approbat , ordinat , statuit ac decernit pro hac vice , & ad omnem scrupulum submouendum eadem sancta Synodus omnes & singulos in eadem Synodo præsentes & venturos , qui eidem Synodo adhærebunt , ad omnes actus legitimos in eadem Synodo agendos actiue & passiue (quatenus opus est) habilitat &

ANNO CHRISTI 1417. habiles esse declarat , ceteris eiusdem Concilii decretis semper saluis, supplens omnes defectus (si qui forsan interuenerint) in præmissis , apostolicis etiam & generalibus Conciliis editis , & aliis constitutionibus non obstantibus quibuscumque. Quibus decretis sic lectis , dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis huiusmodi sessionis præsidens , ipsius Synodi nomine respondit , Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus , nomine quo supra , sibi a protonotariis , notariis & scribis ipsius sanctæ Synodi ad futuram rei memoriam , vnum vel plura , ac tot quot fuerint necessaria fieri petiit , publicum seu publica , instrumentum seu instrumenta . Præsentibus reuerendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus , Ostiensi , Laudensi , de Vrsinis , Bononiensi , Hispano , episcopis ; Venetiarum , Aquileiensi , Senensi , Placentino , Veronensi , Tricaricensi , Pisano , sancti Marci , de Chalanco , Rhemensi , de Fuxo , presbyteris ; de Flisco , de Branckasiis , de Columna & de Comitibus diaconis cardinalibus ; ac illustri principe domino Friderico marchione Brandenburgensi , sancti Romani imperii archicamerario , ac magnificis & generosis dominis Bertholdo de Vrsinis , Ludouico de Otingen , & Euthero de Rauaretzburg , comitibus , aliisque regum , principum , prælatorum , nobilium , communitatum , universitatum , studiorum & collegiorum ambasiatoribus , aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa .

SESSIO XLI.

DIE Lunæ octaua mensis Nouembris , anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo decimoepitimo , indictione decima , fuit tenta sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi . Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis , Missam de Spiritu sancto , serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum rege cum insigniis regalibus interueniente , deuote celebrauit . Et Missa finita , dominus Jacobus episcopus Laudensis solennem fecit sermonem ad Synodum , assumens pro themate , *Eligite meliorem*. Reue-

4. Reg. 10.

Eccc iii